



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XIII. Bischof Heinrich incorporirt einen zur Pfarre in Oderberg gehörigen Hof im Dorfe Niendorf mit 12 Hufen dem Kloster Mariensee, am 16. Dezember 1268.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

dem, cum ipsa et eadem parrochia uacauerit, cum iure eciam patronatus, proprietatis titulo perpetuo possidendam, jus eciam omne nostrum, quod in ipsa parrochia hactenus habuimus in ipsos fratres plane et simpliciter transferentes, Accedente nichilominus venerabilium patrum fratris Guidonis, tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri Cardinalis, sedis apostolice tunc legati, ac domini Henrici, Brandenburgensis ecclesie Episcopi, approbacione pariter et consensu, sicut in eorundem super hoc datis autenticis clare liquet. Vt igitur hec nostra pia donacio in perpetuum stabilis perseveret, presentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari, Adhibitis nichilominus testibus ydoneis, quorum nomina sunt hec: Johannes prepositus de Stolp, franco canonicus Stendaliensis, et Rodolfus de Stendal nostri capellani, Beteko de Benz, Georgius de kerkowe, Johannes de wozstrowe, milites et alii quam plures. Datum Stolp per manum Heidenrici plebani de Nowen, nostre curie Notarii, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXVII<sup>o</sup>. XVI<sup>o</sup>. Kal. maii.

Nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives.

XII. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad vereignen dem Kloster Mariensee, das auf der Insel Paliz gegründet ist, eine Hebung, die Albero, der Marschall genannt, dem Kloster geschenkt hat, am 16. April 1267.

Nos Johannes, Otto et Conradus, Dei gratia Brandenburgens Marchiones, recognoscimus et literis presentibus publice protestamur, quod Dominus Albero, dictus Mariscalcus, fidelis noster dilectus, in nostra constitutus presentia recognouit, se dedisse monasterio et fratribus Stagni sancte Marie virginis, in loco qui Paliz dicitur fundato, unum talentum denariorum Brandenburgensium de censu ville Lubechoue ad comparanda luminaria singulis annis dandum pro anime sue remedio et salute. Quam siquidem donationem ab eodem nostro fidele pie factam gratam ac ratam habentes presentis scripti nostri patrocinio confirmamus. Tradentes dicto monasterio et fratribus ad euentiam futurorum hoc presens testimonium literarum sigillorum nostrorum munimine roboratum. Hujus rei testes sunt dominus Johannes, prepositus de Stolp, Heidenricus, plebanus de Nowen, Franco, Canonicus Stendaliensis, Rodolfus de Stendal, nostre curie Cappellani, Johannes de Brunkoue, miles et alii quam plures. Datum Stolp, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXVII<sup>o</sup>. XVI<sup>o</sup>. Kal. Maji.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Verdens Cod. II, 407.

NB. Ueber Albero's Familiennamen vgl. S. 211.

XIII. Bischof Heinrich incorporirt einen zur Pfarre in Oderberg gehörigen Hof im Dorfe Niendorf mit 12 Hufen dem Kloster Mariensee, am 16. Dezember 1268.

Henricus, Dei gratia Brandenburgensis ecclesie Episcopus, uniuersis presens scriptum auditoris in salutis auctore salutem. Recognoscimus et presentibus protestamur, quod illustris

Marchio Johannes, pie memorie Brandenburgensis de consensu heredum suorum Abbati et conuentui Cisterciensis ordinis in stagno sancte Marie jus patronatus ecclesie in Oderberch contulit de mera et libera voluntate et similiter quicquid juris eidem ac suis heredibus in eadem ecclesia competebat. Nos igitur considerantes eorum inopiam propter deum, qui est retributor omnium, eandem in quantum possumus, volumus aliquantulum releuare, duodecim mansos, pertinentes ad curiam in villa Nyendorp et cum ipsa curia, quos plebanus in Oderberch nunc nomine dotis possidet et tenet, in sustentationem et in subsidium predictorum fratrum, postquam plebanus nunc superstes carnis debitum persoluerit, prefato monasterio in Stagno sancte Marie et fratribus ejusdem ecclesie assignamus pleno jure in perpetuum possidendos. Volentes ut plebanus substituendus ab Abbate et Conuentu ad curam memorate ecclesie presentandus dotem habeat oblationibus, modiis, denariis de mansis laicorum in villa Nyendorp tantum sit contentus, et procuracionem legatis sedis apostolice nobis nostrisque successoribus preposito suo adeo dabit et persoluet, Imponentes plebano, qui pro tempore fuerit in Oderberch, perpetuum silentium, ne fratres in Stagno sancte Marie supradictis mansis repetendis in posterum presumat aliquatenus molestare. Datum Brandenburg, anno domini M°. CC°. LXVIII°. XVII°. Kal. Januarii, pontificatus nostri anno VI°.

Aus dem nach dem Original des Königl. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gercken's Cod. II, 408.

XIV. Die Markgrafen Otto und Albrecht schenken dem Marien-Kloster zu Chorin neun Hufen Landes in Woltersdorf, am 1. August 1272.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis amen. Otto et Albertus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, omnibus in perpetuum. Que geruntur in tempore, ne simul cum tempore dilabantur, poni solent in linguis testium et scriptis authenticis perhennari, ut si necesse fuerit in futurum ex scriptis veritas comprobetur. Hinc est quod notum esse volumus tam presentibus quam futuris tenore presentium publice protestantes, quod nos ecclesie sancte Marie virginis in Koryn et fratribus ibidem domino famulantibus in ordine Cisterciensi, nouem mansos in villa Wolterstorp, sicut nos eos habuimus, cum omni potestate atque jure perpetuo et proprietatis titulo possidendos donauimus, ita quod ipsi sicut nos antea in predictis bonis aduotatio et omni dominio libere et in perpetuum perfruantur. Vt autem hec predicta rata et inuolabilia in perpetuum obseruentur per nos et per succedentes nobis heredes nostros, ne quoque ulli dubium super predictis futuris temporibus valeat suboriri, presentem paginam scribi fecimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Testes vero, qui presentes fuerunt, sunt nostri milites et fideles Henricus de Wodenswege, Henricus de Heidebrake, Henricus de Grobene, Henricus de Sydoue et Henricus de Thenis. Datum in villa Bernekoue, anno gratie M°. CC°. LXXII°. Kal. Augusti.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerckens Cod. II, 409. In einem zweiten Exemplar dieser Urkunde steht Gudenswege statt Wodenswege.